



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

VII. Evphrates.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

dem etiam Italia sœvientis. Cæterum annis 48. Coloniense Pe-  
dum rexisse traditur.

### V. LEVVOLDVS.

**T**Ametsi Levvoldus in Colonensium Serie haud inveniatur  
testibus his verbis:

Rursus in exitium dum vertunt sceptræ tyranni,  
Quintum Ubii nomen Præsalis interiit.

Ab aliis tamen, & quidem Heterodoxis Scriptoribus in præ-  
senti Serie haud est omissus. Facinora verò oblivioni dederunt  
tempora iniquissima, quibus triginta simul ex Romanis<sup>i</sup> belli  
Ducibus contra Gallienum Imperatorem Romanum ambièrunt  
sceptrum, à suis quisque partibus proclamatus Imperator. An-  
nis 42. sedisse creditur.

## S E C V L V M I V.

### VI. MATERNVS II.

**J**uperante Constantino M. atque in Galliis pugnante, inter  
illos numeratus est Maternus Patres, qui contra Donatistas  
arbitri dixerunt sententias. Idem quoque cum Diacono suo  
Martino, vel Macrino nomine interfuit Concilio Arelatensi an.  
314. in Gallia celebrato contra eosdem Donatistas. Sedit an. 35.

### VII. EVPHRATES.

**E**uphrates adfuit Synodo Sardicæ in Illirico an. 345. cele-  
bratæ, ubi testibus multis documenta dedit multa inno-  
centissimæ vitæ, præsertim verò castimonie. Utinam  
reliquisset etiam signa illustriora insignis constantiæ: dum enim  
Aria-

Arianorum consortia non vitavit, in hæresin Arianam incidit, condemnatus propterea anno 348. in Synodo Coloniensi, D. Julii Pontificis loco sententiam supremam dicente D. Maximino Archi-Episcopo Trevirensi. Annis 33. sedisse, ad annum 348. fertur. *Vide brevverum & Egidium Gelenium Historicum Coloniens.*

### VIII. D. SEVERINVS.

**D.** Severinus Butdegalæ in Aquitania natus, eodem in Concilio Coloniensi Euphratis loco electus Episcopus, Arianis tanto constantius obstitit, quanto remissius Euphrates. Inter vivos strenue rem agente Severino, beatissimis concessit fatis Turonensem Praeful D. Martinus, cuius animam meritis ditissimam à cœlestibus geniis supra sydera elevari vidit, dum in campo suburbano, quem Martini campus vulgo appellant, ad cœlos levavit oculos. Id etiam notavit antiquitas, & meminit non minus vulgus hodie, hominem solitudini & multis virtutibus assuetum, atque idcirco angelī tutelaris conspectu crebro ad constantiam animatum, id scire desiderasse ardentius, num majorem virtute virum vicinus orbis haberet, ut hunc liceret æmulari sancte & imitari. Adesse in vicinia Severinum reponente cœlesti genio, mox cucurrit æmulus eremicola, conspecturus cominus, qualem se gereret vir major virtute Severinus. At dum corpus reficientem offendit, & ab epulis longè diversa exspectavit, jussus est legere, atque intelligere verba magni Doctoris gentium Pauli Rom. c. 14. qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumpit. Episcopus fuit an. 60. mort. an. 408.

### SECULUM V.

#### IX. D. EVERGISLVS.

**N**atione Tungrensis D. Evergislus, inter S. Severini discipulos adeò profecit, ut qualem Successorem in Coloniensi